doctrinas evocatis vndiq; Professoribus ab interitu erigere caeperat novasq; meditabatur, vnde fides Catholica in vniversam se se germaniam diffunderet, sed eheu ut fieri solet haec turba imbellis Suecorum à septentrione tanquam ex obscuro loco vel angulo latitans erumpit, ad disturbandos omnes hos religiosissimi avi tui conatus sese armat. Sed audi Imperator Invicte: statum vix satis deplorandum. Iactabatur vniversa tunc Germania Sueco auctore, omnes vrbes omnes Provinciae vniversae Germaniae, sed et ipsa religio Catholica, eo infami modo prostrata tantum non penitus excisa iacebat, ita quidem ut nihil Attilae vel Totilae foedius expectari potuisset. vndiq; vastitas Ecclesiarum squalore altarium, fuga antistitum (miserum me!) religiosorum, perturbatio sacrarumq; virginum, profanatio sacratissimorum mysteriorum execrabilis visebatur. Nulli aliquod effugium erat, profugi religiosi omnes, monachi virgines sacrae, Clerus Antistites omnes conspiciebantur. Sed neq; a[illegible] tum ipsimus tutum satisq; munitum locum reperiebat, nemo Caesarem Imperatorem nemo regem nemo Germaniae agnoscebat, omnia sursum deorsum ruebant, ac si omnia elementa in solam germaniam conspirasse viderentur. Suecorum è contra regem libentius quam iustius Imperatorem, liberatorem Patriae, assertorem libertatis, defensorem religionis, propè dixerim